

V. Petition illud, cuius jam in initio mentio facta, de rebus eorum in synodo generali examinandis majorem in dies adfert dubitationem. Quod ad delegatos hujus rei causa requisitos attinet, vel ex sola terra Wurtembergica, vel ab alijs quoque et ab omnibus quidem imperji ordinibus eadem postulabitur delegatio. Si prius, jam antea propter *particulare Responsum Tubingenſe*, quanta quoque *ſanctitate et integritate illud tunc temporis datum eſt*, tam moleſta eam premit invidia, ut huic rei nos interponere, et ulterius præjudicium ſubire, nobis non incumbat, et, ne ſimulationibus aut diſſimulationibus in tentationes prioribus periculoſiores deducamur, periculum eſt; quum nobis merito jam nunc doleat neceſſe ſit, quod illo tempore ea, quæ Comes ill. jam tunc ante biennium in Berleburgicis et Schwarzenauicis, item cum inſpiratis haud excuſanda geſſerat, nondum cognoverimus, quippe quæ, ſi nobis fuiſſent perſpecta, nullam ipſi reſponſi rebus ſuis faventis ſpem reliquiſſent. Quodſi eccleſia noſtra Wurtembergica ſub inquiſitionis prætextu; has partes ſola ſuſcipere cogeretur nullum eſt dubium, quin hæc ſocietas, contra omnem illius intentionem, invidioſiſſime et periculoſiſſime illa abuteretur, qualiſcumque demum hujus inquiſitionis futurus eſſet exitus. Si plures autem ablegati ab alijs quoque ordinibus et ex locis alijs ad hoc requiſiti negotium ipſo facto venirent: nondum eſt exploratum, quinam illi? qualem ad hanc rem ſint allaturi mentem? quanta cum experientia et dexteritate in caſu tam lubrico acturi? et numme inquirendi ſecundum illud: Divide et impera, rebus ſuis eſſent conſulturi, et quæ hujus generis plura eaque gravia ſe exferere poſſent momenta. Ratione modi agendi difficile eſſet factu, ſufficientibus ablegatos inſtruere mandatis,